

1821

C A S U I S T I C I.

1822

*delis deuocionis obsequium. Quantum luna ceteris stellis est lucidior &c.* Ita praefatur *Philippus* hic ad latinam ex Arabico versionem *Pseudaristotelis ad Alexandrum M. de Secretis Secretorum*, cujus Exemplum retuli *Vol. I. P. 2. col. 2099.* ista tamen Praefatione carens. Ait in hac: *Cum apud antiochiam vobiscum essem repertam hanc preciosissimam phylosophie margaritam placuit vestre dominacioni ut transferrem de lingua arabica in latinam.* Verterat porro e graeca in chaldaicam, indeque in arabicam, *Johannes* quidam *Patritii* filius, ut praefertur; ego vero Arabis cujusdam foetum puto. Quae insunt, edisseruit *Mich. Neander* in *Erotemat. Ling. Hebr.* p. 558. quae legi etiam possunt in *Fabricii Bibl. gr. L. III. c. 6. p. 168.* Impressum extare *Opusculum*, jam dixi *l. supracit.* Quid monstro vocis *Bindoiacone* faciam, nescio; reperio tamen Episcopum *Tripoleos Syriae* nomen suum a *B.* ordientem, ad quem in *Cruciatarum* negotio literas dedit *Nicolaus IV. a. 1289.* Clausula Codicis est: *Completus est tractatus de signis naturalibus hominum ad regem magnificum alexandrum qui dominatus fuit toti orbi dictus monarcha in septemtrione.*

DCCLVIII.

R. 2225 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 168. 8. nitide exaratus, literis quibusdam initiorum picturatis, quarum prima Autorem

habitu Ordinis sui exhibet scribentem, et olim Bibliothecae Episcopat. *Neostadiensis* praemissis quibusdam de Examine Confitentium instituendo alia manu adscriptis hunc Titulum praefert: *Incipit summa fratris borcardi de ordine fratrum predicatorum*, et ad calcem habet: *Explicit summa de penitentia fratris brucardi theotonici. de ordine fratrum predicatorum.* Vides Autoris nomen ne apud eundem quidem Librarium constare, quid mirum, si apud diversos *Burchardum*, *Boucardum*, *Brocardum*, *Buchardum* legas. Cum *Teuto* fuerit, et *Argentinas*, ut in *Scriptt. Ord. Praed. T. I. p. 466.* dicitur, *Burchardo* adhaerendum videtur. *Summa* ejus constat *Libris IV.* divisis in *Capitula*, quorum *Klenchus* ad extremum adjunctus est. I. incipit *de Simonia* ita: *Simonia dicitur heresis non quod ipse actus sit hereticus &c.* II. initium est *de Homicidio.* III. *de Bigamis.* IV. *de Sponsalibus.* Opus copiosum, utut succinctum, quod miror prelum evasisse. Exemplâ *V. mss.* excitat *Quetifus cit.* His sextum nostrum accedat.

DCCLIX.

Codex chartaceus lat. Sec. R. 52 XV. Folior. 242. 4. bene perscriptus, et rubricis enotatus hanc in ora inferiore p. 1. Notam offert: *Iste liber qui dicitur antonina est monachorum congregationis sancte Justine de padua deputatus monasterio sanctorum Seuerini et Sossii*

C 3